



SEbastianus honestis parētibus natus est anno 1524. Is à pueris statim operam literis dedit, & prima rudimenta facillè percepit. postea sese ad Academias hinc inde contulit, & Iurisprudentiæ operam nauauit. In ea etiã facultate adeò progressus est, ut breui temporis cursu Iuris Doctor crearetur. Accedebat & pia dexteritas, atq; singularis in rebus administrandis prudentia. Itaq; Archiepiscopus Salisburgensis eum suum Cancellarium legit, atq; huius uiri opera suam ditionem optimè gubernauit. Est Sebastianus mediocris staturæ homo, facieq; liberali insignis. Humanitate uerò cæteros eius loci accolas facillè superat. Is cum intel-

lexisset meum Salisburgi studium, quod nimirum anno 1565 per Germaniam peregrinationem suscepissem, ut uiros illustres huius et superioris seculi conquirerem, meum conatum egregiè iuuit, & plurimùm approbavit. Vnde ob has & alias præclaras animi dotes meritò eius hoc loco mentio facienda. Anon.